



G. 14. num. 8.
J. G.

18

ORDINIS IVRIDICI PRODECANVS

IOANNES STEPHANVS PÛTTER D.

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM 1759,6

P E T R I S I M O N

ET

IOANNIS OTTONIS LVTTERLOH


HAMBVRGENSIYM

SOLLENNIA INAVGVRALIA
INDICIT.

PRAEMISSA

THEORIA GENERALI

DE NVLLITATE.



GOETTINGAE

CIO IO CCLVIII.



P. 24



ORDINIS IURISICI PROLEGANS

IOANNES STEPHANUS PUTLER D.

VRORVM FRANKENBERGIVM

P E T R I S I M O N

ET

IOANNIS OTTONIS PUTTERLOH


FRANKENBERGIVM

COLLEGIUM IN VIVARIA

DE VIVARIA IN VIVARIA

DE VIVARIA IN VIVARIA

DE VIVARIA IN VIVARIA



GOTTINGEN

1717





Diu multumque cogitavi de iusta nullitatis definitione concipienda. Qua equidem destitutus observaui saepe maxime pragmaticas non satis feliciter decidi quaestiones. Non piguit euoluere, legere, meditari, quae BLAS. ALTIMARVS, SEB. VANTIVS, alique de nullitatibus commentati fuerunt. Dissimulare tamen nequeo, mihi non omnino satisfecisse, quae inde haurire licuit. Dudum itaque quod meditatus fui, nunc tanto lubentius publicum facio periculum delineandi theoriam generalem de nullitate, quanto exoptatior est haec occasio adnunciandi faustos duorum Candidatorum honores, quorum vnus ex ipso illo nullitatis ambitu elegit differtationis inauguralis argumentum.

§. I.

*Substantia-
lium rei &
accidenta-
lium discrimen.* Quidquid existit, id vnum ab altero discernitur, partim in *substantia* seu *essentia*, quae si abesset, definiret esse, quod est, partim in *accidentalibus*, quae salua substantia abesse ac variari possunt.

§. II.

*Deficiente
substantia,
res nulla.* Vbi substantia rei non est, ibi ipsa res non est. Negata itaque substantia, negatur res; seu substantia nulla, res nulla est. Quamdiu ea non adsunt, quae ad substantiam rei pertinent; tamdiu ipsa res non est, seu *nulla res* est. Quamprimum cessant, quae ad substantiam pertinent, res esse definit, seu nulla esse incipit.

§. III.

Accidentalia nec existentem nec nullam rem reddunt. E contrario vbi accidentalia rei adsunt, ibi non ideo ipsa res est (e. g. vbi color, nitor, auri, argenti, ibi non ideo ipsum aurum, argentum cet.). Eademque ratione, vbi deficit vnum alteramue accidentale, non ideo res esse definit, non ideo res ipsa nulla (e. g. aurum, argentum, colore, nitore destitutum non definit esse aurum, argentum cet.)

§. IV.

Fingi autem potest res esse, quae non est. Enimvero fieri potest, vt duae res substantia vere diuersae in accidentalibus, v. g. in forma externa, conueniant. Ideoque porro fieri potest, vt seu dolo seu errore quis contendat, rem esse, quae non est, siue aliquid esse rem, cuius substantia tamen abest. Aurum
c. g.

e. g. argentumue potest fingi alia qualiscumque metalli massa ab auro argentoue longe aliena, licet nitore forte conueniens. Idolum Deus fingitur, quod non est reliq.

§. V.

Quandocumque quis contendit, aliquid esse rem, *Eaque res cuius substantia tamen abest; hæc res eo respectu spe-* *speciatim* *dicitur nul-*
ciatim dicitur NULLA. *la; unde nullitas rei.* *dicitur nul-*
est, quod esse contenditur, vocatur NULLITAS rei. *la; unde nullitas rei.*
Sic nullum aurum argentumue, nulla Deitas, seu nullitas auri argentine, nullitas idoli in exemplis iam prolatis intelligitur.

* Obserues velim in ipsa voce: *nullus*, sensum duplicem in lingua Latina minus, quam in Germanica nostra, exacte distinctum. Latine nimirum *nulla diuinitas* significare potest negatam plane omnem diuinitatem, seu quod plane non existat vllus Deus, aut negatam modo huius forte illiusue idoli diuinitatem, quod hoc saltem idolum non sit Deus. Vtramque Germanice multo commodius distinguimus, illud nempe: *Es ist keine Gottheit*, hoc: *Die Gottheit* (*dieses oder jenen Götzenbildes*) *ist nichtig*. Priore sensu nullum iam dixi §. 2., posteriore demum hic, vbi eodem sensu nullum dico, quo nullitas adesse dicitur.

§. VI.

Considerata re penitius, quandoquidem omnis re- *Nullitas me-*
rum qualitas aut metaphysice, aut physice, aut mora- *taphysica,*
liter consideratur; NULLITAS quoque alia cogitari *physica, vel*
potest METAPHYSICA entis, vt aiunt, in abstracto *moralis.*

VI THEORIA GENERALIS DE NULLITATE.

considerati, seu speciatim entis simplicis, monadis, spiritus, cet.; alia PHYSICA rerum corporalium; alia MORALIS obligationum, seu actionum, quatenus hae obligationi conformes, aut secus.

§. VII.

Nullitas moralis alia Moralis iterum nullitas cogitari potest aut in obligatione imperfecta, aut in perfecta, & sic in actione theologica, ne aut illi aut huic conformi. Illa moralis in specie alia invidiosa, seu THEOLOGICA vocari posset NULLITAS, qualis certe est virtutum omnium, quae suo, non animo exercentur. Mihi hic sola curae cordique est NULLITAS IURIDICA obligationum perfectarum, actionumque iis conformium aut secus.

§. VIII.

Iuridicae nullitatis quatenam obiecta? Nullitas nempe nostri fori solum ea est, in qua de talibus negotiis actibusque quaestio est, e quibus alteri ius vindicatur, alteri obligatio imponitur. Quorum quum, ni fallor, haec suprema divisio sit, ut vel voluntate seu declaratione unius, (aut plurium saltem pro vno sumtorum,) vel consensu plurium pactitio nitantur; inde haud difficile erit, obiecta nullitatum siue negotia, in quibus potissimum de nullitate quaestio oriri potest, in suas quaeque classes dispescere, veluti, quae prioris generis sunt, leges, statuta, privilegia, iudicata, decreta, rescripta, testaments, cet.; quae posterioris, pacta, contractus, transactiones, reliq.

§. IX.

§. IX.

Singulorum eiusmodi negotiorum nullitas iuridica NATURALIS esse potest, quae ex immutabili lege naturae, seu, quod idem est, ex voluntate diuina, quatenus sine reuelatione nobis constat, nec adeo ex vlla demum humana lege deriuatur; veluti nullitas pacti consensu libero destituti, nullitas matrimonii personarum suscipiendae prolis incapacium cet.

*Nullitas
ista aut
naturalis est.*

§. X.

POSITIVA autem seu CIVILIS NULLITAS est, quae ex lege humana, speciatim ciuili, deriuatur; eaque duplex iterum, prouti aut coincidit cum nullitate naturali, qua nempe naturalem legem modo firmat ciuilis, aut sola lege ciuili nititur, adeoque nullitas aut NATURALIS ET CIVILIS SIMVL, aut MERE CIVILIS est.

*aut positua,
seu mere ci-
uilis, seu
naturalis
simul,*

§. XI.

Quin etiam *mere ciuilis nullitas* mox ita comparata potest esse, vt, si vel maxime iure naturali non constet, tamen *naturae rei conueniat*, & per eam san- cita sit lege ciuili, vti e. g. per naturam rei iudicialiae requiritur forum competens, necessitas admittendae defensionis cet. Mox tamen & *citra naturam rei* solo principis arbitrio aliaue ratione singulari potest statui nullitas, e. g. in praescripta testamenti sollenni forma externa, in charta passim sub poena nullitatis introducta, quam vocant, sigillata (*Stempelpapier*) etc. Vnde generatim simul intelligitur, nullitatem ciuilem

di-

diuersa ratione *mox in materia*, vt aiunt, *mox in forma* consistere posse.

§. XII.

quae ex requisitis essentialibus diiudicanda.

Nullitas naturalis & ciuilibus simul, seu mere etiam ciuilibus, sed ex natura rei desumpta tam late patet, quam e naturali iure ipsaue rerum natura deriuari possunt *requisita cuiusque negotii essentialia*, quibus deficientibus substantia negotii iacturam patitur.

§. XIII.

Sic nullum, 1) quidquid egit agendi potestate destitutus;

In generalissimis, ni fallor, huius nullitatis fundamentis erit hoc positum, vt *nullum sit, quidquid ab eo fit, qui id agendi potestate destitutus erat*, quod egit ad effectum deriuandi inde ius vel obligationem. Vnde manifesta nullitas legum omniumque aliarum sanctionum, quarum auctores potestate ferendi leges sancientiae destituti; manifesta nullitas sententiae a iudice non suo latae; manifesta nullitas eorum, quae a non dominis, a falsis procuratoribus cet. peracta sunt.

§. XIV.

2) quidquid iuri alterius quaesito contrariatur;

Ex eadem ratione, vti ordinarie nemini, ne principi quidem, licet, iuri cuiuspiam quaesito detrimentum inferre; ita nullitatis vitio laborat omnino, *quidquid iuri alterius quaesito contrariatur*, modo ius hoc certum & euidens sit, eosque casus excipias, quibus, ob manifestam e. g. salutis publicae collisionem, vel ius quaesitum vnus alteriusue ciuis salutis omnium cedere oportet.

§. XV.

§. XV.

Simile fundamentum nullitatis generale est, quod ^{3) quidquid} in defectu voluntatis vel consensus consistit, qualis ad defectu vo- esse debebat ad perficiendum negotium, de quo agitur; luntatis vel veluti quam ob rem nulla sunt, quae ab infante, a fu- consensus la- rioso, seu metu, dolo, errore substantiali fiunt. borat;

§. XVI.

Reliqua specialiora fundamenta ex cuiusque negotii ^{4) quidquid} indole speciali deriuari oportet; veluti nullitatem ma- speciali cu- trimonii deficiente sobolis suscipiendae capacitate; nul- tusque nego- litatem venditionis deficiente pretio; nullitatem senten- tii essentia caret. tiae, cui haud praecessit causae cognitio; & quae sunt reliq.

§. XVII.

Denique *mere civilis* eaque non tam ex natura rei *Mere civili-* repetita, quam pro arbitrio definita nullitas hoc solo *ter nullum,* fundamento nititur, vt nullum sit, *quidquid lex pro-* *quidquid* *lex nullum* *sancti.* *mulgata nullitatis nota designauit, nihil ultra.*

§. XVIII.

Nimirum *quidquid* lex praecipit prohibetue, id *Non statim* *nulla sunt,* *quae contra* *leges;* quidem, si *contra legem* fit, *illicitum, iniustum,* ne di- cam, iniquum est, nec vel impune maneat, sanctione poenali muniri potest; sed *neccum ideo statim nullum* est, quod agitur, nisi diserte idem hoc addat lex praecipiens prohibensue. Finge legem requirere confirmationem certorum negotiorum iudicalem, chartam signatam, alias

alias solemnitates, adhibendas. Si lex addit poenam nullitatis, nempe ut nullum haberi debeat totum negotium neglecta praescripta solemnitate; tunc per se res clara, nullitatem inferri. Sin secus; qui neglexit, in poenam multatae incidere, ipsum negotium nihilominus subsistere potest.

§. XIX.

*nec vel omni-
si requisitis
legum;*

Quin si vel ex natura rei colligi possunt, quae ut plurimum fieri solent, & quae vel summae aequitati conveniunt; nihilominus, modo ad ipsam rei substantiam haud pertineant, neglectis iis *negotium ideo nullum dici nondum potest*. Iustissima e. g. lex est, ut ne consensus parentum in nuptiis liberorum negligatur. At nisi tamen poena nullitatis expresse in contrarium sancita fuerit, matrimonium sine consensu parentum contractum non ideo necessario nullum est.

§. XX.

*licet vel ma-
xime ini-
qua, iniusta
sint.*

Quae quum ita sint, nisi omnia me fallunt, *nequam sufficit* ad definiendam nullitatem iuridicam, ut nullum, quidquid *contra leges* sit, dicatur. Sed omnino uti iniquum ab iniusto, ita utrumque longe differt a nullo. Atque *nullum demum id est*, quod aut ex natura rei defectu *substantiali* laborat, aut ex lege *positiva expresse nullum declaratum* est.

§. XXI.

*Nulla vero
nullor quo-
que effectus
habent;*

Quidquid autem semel seu naturali seu mere civili nullitate laborat; id certe, quemadmodum non entis, vt

vt aiunt, nullae sunt adfectiones, *illos quoque unquam in iure effectus* habet, sed tum ipsum tale negotium, tum omnia, quae ab eo pendent, tamquam accessoria negotii, cuncta & qualicumque efficacitate destituuntur.

§. XXII.

Quin etiam si iudici occurrat negotium nullum, id- *sed ex officio* que ita comparatum, vt nullitas intuenti modo & *reicienda;* indaganti naturam rei in oculis incurrere possit; certe dubitari nequit, *ab omni iudice ex officio attendendam* esse eiusmodi nullitatem, nec vel quidquam tribuendum tali negotio, cuius vitium ipso iure manifestum est.

§. XXIII.

Deinde quidquid semel nullum est, id nullum adeo *nec per se* net, vt vel expressae leges nonnulla *negotia ab initio nulla unquam* nec posthaec unquam conualescere statuunt (a). Saltem, quod *conuales-* ab initio semel nullum est, negotium, nec posthaec. *scunt.* nisi aliud quid accedat, per se unquam validum fieri posse, res ipsa docet.

(a) L. 29. 182. 210. D. de regulis iuris.

§. XXIV.

At sicuti tamen *suo iuri renunciare* cuique licet, *Sed consen-* ideoque fieri potest, vt vel summam alter alteri iniqui- *su, cuius in-* tatem & iniuriam sibi illatam condonet; ita fieri etiam *terest, nul-* potest, vt negotium, ex quo tamquam nullo obligatio- *hum nego-* nem

rium vim nancisci potest. nem sibi imponi non pati aliquem oportebat, tamen iccirco valorem obtineat, quoniam nullitate ista non attenda obligationem suam agnoscit, cui sponte volenti nulla amplius fit iniuria.

§. XXV.

etiam tacite, & per praescriptionem. Quumque perinde sit, siue expresse siue tacite quis iuri suo renunciaret; accedente praeterea summa salutis publicae ratione, ut iura subditorum ac dominia, quoad fieri potest, certa, litigia contra non immortalia reddantur; hoc vnicum quaestioni super nullitate finem imponere potest, si qua lex ei iustum *temporis spatium* praefinit, quo lapsa, uti aliarum rerum aliorumque iurium, ita & *nullitatis praescriptio* locum habet.

§. XXVI.

Hinc necesse, urgere nullitatem. Etiam si itaque, quae nulla sunt, per se nullius sint efficacitatis, ideoque merito vel ex officio a quouis iudice reiici debeant; tamen fieri potest, ut vel nullitas, nisi fundamentum eius demonstratum sit, cognosci nequeat, vel condonata aut praescripta esse possit; ideoque simulae ex nullo eiusmodi negotio quis ius in alterum seu in res alterius sibi vindicare adnititur, mox ipsa *necessitas* hunc vrgebit, ut *arguat nullitatem negotii*, ex quo incommodum sibi ius alter contendere studet.

§. XXVII.

sive per modum exceptionis. Quod si ius tale demum ope actionis adferendum venit, veluti si quis sub praesidio negotii, quod reapse nul-

nullum est, rem, quam alter possidet, petit; tunc se-
curum reum praestabit *exceptio nullitatis*, eaque pro
natura exceptionum perpetuo duratura.

§. XXVIII.

Sin is, qui in nullo negotio praesidium quaerit, ^{sive per mo-}
beneficio possessionis utitur, aliaue ratione alter, cui ^{dum actio-}
ex nullo negotio damnum imminet, ad agendum com- ^{nis seu que-}
pellitur; tunc omnino, qualiscumque demum nullitas ^{relata.}
cuiuscumque negotii fuerit, ius agendi in promptu est,
querela nempe *nullitatis*, instituenda tamquam actio per-
sonalis contra eum, qui nullitatem commisit, quae
nullitate negotii haud obstante ex hoc sibi ius adferit;
eaque ex iuris Romani sanctionibus triginta annos
durans.

§. XXIX.

Iam prouti *cognita causa* iudex aut adesse nullita- ^{Sicque super}
temprehendit, aut secus; ita iudicando eam significa- ^{nullitate co-}
bit, ipsumque negotium, quod in quaestionem venit, ^{gnoscitur,}
aut nullum & irritum, aut a vitio nullitatis immune
ac validum declarabit.

§. XXX.

Quamobrem res ipsa docet, quid discriminis in- ^{er, quod}
terfit inter id, quod *ipso iure nullum* est, & quod nul- ^{nullum est;}
lum a iudice *declaratur*; idem nempe, quod generatim ^{nullum de-}
inter ius qualecumque, quale nondum *cognita causa* ^{claratur,}
comparatum est, & inter ius re iudicata firmatum.

Nimirum uti vna veritas, ita vnum semper idemque ius & iustitia est. At si certitudinem securitatemque iuridicam spectes, tum demum certa nullitas, nullaque vniquam ratione reparanda, quando nullam rem esse iudicatum est.

§. XXXI.

*id quod dif-
fert ab iis,
quae rescin-
duntur.*

Dantur autem & alia negotia, quae non quidem ipso iure nulla sunt, sed ob maiorem iniquitatis gradum auxilio legum impugnari queunt, ita ut cognita causa demum rescindantur, aut, quod lenius videtur, ope restitutionis in integrum haud adfuisse fingantur. Haec reuera non est nullitas, qualem haecenus descripsi, neque solum, nullum iam esse tale negotium, iudicando declaratur, sed ipsum negotium iudicando demum nullum redditur seu adnullatur. Illa nullitas ante iudicatum iam adfuit, iudicando dumtaxat adesse pronunciat; haec iudicando demum fit, antea nondum fuit. Atque sic omnino multo maior est differentia inter ea, quae ipso iure nulla sunt, & quae ope iudicis demum nulla fiunt seu adnullantur.

*

*

Sufficient, spero, haec ad theoriam nullitatum generalem, quam equidem naturam rei magis quam aliorum auctoritates secutus contexere in animum induxi. Nunc superest, ut candidatos, quorum causa haec scripsi, sigillatim nominem.

Primus



Primus eorum

VIR PRAENOBILISSIMVS

PETER SIMON

HAMBVRGENSIS

sequentem vitae Audiorumque enarrationem nobis
exhibuit:

Natus sum Hamburgi A. 1732. d. 26 Februarii, parentibus ad-
huc, quae Numini gratia est, viventibus. Patrem véné-
rabilissimum IOHANNEM HENRICVM SIMON, I. V. D. & Reipu-
blicae patriae Senatorem, matrem REGINAM, natam GREVE.
Hi ambo, sicuti tenevrimo affectu inter se iuncti sunt, talem ab
ineunte aetate in me contulerunt amorem, eaque sollicitudine sa-
luti meae prospexerunt, ut, qua ratione dignas iidem grates re-
ferre possim, plane non perspiciam. Quaecumque tamen pietas,
quae filialis amor praestare possunt, eadem, quoad vixero, a
me sancte persolventur. Placuit vero dulcissimis parentibus, do-
ctoribus privatis ad erudiendum me committere. Horum institu-
tione usque ad annum 1752. usus fui, quo celebratissimi Gy-
mnasii Hamburgensis civibus adscriptus sum. Audiui ex eo tempo-
re, per triennium, doctissimos Viros, quorum in docendo soler-
tiam & humanitatem summam, qua exquisitam doctrinam in pu-
blicos usus convertunt, dignis laudibus extollere semper officii mei
ducam. Intersui autem praelectionibus historicis RICHEY, in phi-
sophiam theoreticam, & SCHELHAFERI, pie defuncti, in
practicam, quo etiam duce antiquitatem Romanam & Iuris natu-
rae ac civilis principia scrutatus sum. Quibus postis fundamentis
anno 1755, mense Iulii, Goettingam veni, nomenque meum
apud illustrem & Magnif. GESNERVM, qui tunc Praeceptoris
celeberrimae Georgiae Augustae provinciam tenebat, professor
sum



sum. Quartus exhinc iam voluitur annus. Multo tamen, quam animo concipere potui, celerius istud tempus praeterlapsum est, cuius per omnem vitam summa cum incunditate recordabor. Ea vero ratione illud desperitus sum, ut cum in litteris elegantioribus & philosophia ulterius proficerem, tum maxime Iurisprudentia, cui me dicaueram, probe erudirer. Habui in his Doctores, suis in rem litterariam meritis dignitatibusque suis illustres & excellentissimos, Perillustres nempe & Excellentissimos GEBAVERVM in historia iuris, AYRERVM in Iurisprudentia civili ad ductum G. A. STRYVII, BOEHMERVM in digestis, iure feudali & canonico, PÜTTERVM in iure publico & re iudiciaria Imperii, praxique iuridica. Praeterea Excellentissimum MEISTERVM in institutionibus iuris, digestis, ac iure criminali, & Generosiss. DE SELCHOW in iure Germanico auditi. Historiam S. R. I. cum apud Celeb. SCHMAVSSIVM, post fata adhuc superstitem, tum apud Illust. & Excellent. PÜTTERVM percepit. In historia vero reliquorum Europae regnorum Excell. ACHENWALLIVM secutus sum, qui praeterea notitiam regnorum ac rerumpublicarum Europae, politicam ac ius naturae me docuit. In physicis Excellent. HOLLMANNO, & in mathesi pura Excellent. WAEHNERO auditorem me praebui. Consultissimus iuriumque peritissimus CLAPROTHIVS exercitia iuris practica mecum instituit. Praeterea quoque linguae exoticae colui, Gallicam praecipue apud Gener. DE COLOM DV CLOY, Italicam apud Lectorem huius linguae diligentissimum Cl. d'ARATA. Cursu studiorum meorum hac ratione finito, ab Illustri Iureconsultorum ordine, ea qua decet observantia, petii, ut praefectus meos exploraret, meque, si promeruissem, honoribus suis benevole ornaret. Subii examen, & pro indulgentia tantorum Hominum, Doctoris quoque honoris mihi decretus est, multis quidem rationibus mihi pergratus, potissimum vero hac, quod ab iis Viris mihi concessus sit, quos lumina sua veneratur Germania.

Post



Post praeslita a viro praenobilissimo consueta & erudite declaratorum vtriusque iuris textuum & examinis specimina non dubitauimus petitos ei decernere honores. Quibus vt porro se dignum exhibeat, proxima die XXX. Iun. lectione cursoria interpretabitur L. 2. C. si in causa iudicati pignus captum sit, deinde me praeside de querelae nullitatis & appellacionis coniunctione eadem die publice disputaturus.

Alter

VIR PRAENOBILISSIMVS
IOANNES OTTO LVTTERLOH,
HAMBVRGENSIS

vitae studiorumque rationem sequentem in modum exposuit:

Natus sum Hamburgi anno CIOIOCCXXI die XXVIII. mensis Augusti, patre IOANNE LVTTERLOH, I. V. D. Etore, matre ANNA CATHARINA, OCTAVII BELTGENS, mercaturam, dum viueret, exercentis, & ANNAE MARIAE BOON, quae postea secundis nuptiis OTTONI LVIS, qui & idem mercatura rem quaesuit, iuncta est, filia. Hi quidem optimi parentes omnem curam studiorumque in eo posuerunt, vt a primis statim imae pueritiae annis sanctioris religionis christianae initiis & aliarum quoque scientiarum rudimentis tenerimus adhuc animus meus imbueretur. Quibus vero praematura morte a. CIOIOCCXXXIII. quatuor septimanarum spatio mihi ereptis, traditus sum curae ac tutelae Virorum negotiatione apud nos admodum quondam conspicuorum, Beati nempe patris HENRICI LVTTERLOH, nec non desideratissimi viri PETRI RUMPF: quo in matrimonio cum matertera dilectissima &

c

annz



omni pietate colenda, defuncto, Viri Illustris, Consultissimi atque Doctissimi IOANNIS SCHLÜTERI, I. V. Lti & reipublicae Hamburgensis Senatoris meritissimi, fidei sum concreditus. Hi quidem viri optime de me promeriti, nihil sane, quod ad bene sapienterque me educandum facere aliquid posset, a me desiderari passi sunt. Quantum vero SCHLÜTERI praesertim nomini debeam, verbis sat exprimere nequeo; quippe qui non omni tantum cura ac studio, sed patrio profecto amore munus suum explevit.

Ad stadium studiorum meorum quod attinet, a iuvenili iam aetate magistris praeclaris tam publicis quam privatis uti mihi contigit; quorum priorum tantummodo mentionem faciam. Primam itaque & secundam classem Ioannei, quod Hamburgi floret, frequentans, Virorum Amplissimorum B. KÜNSCHII, Subconrectoris, RICHERZII, tum Convectoris, nunc Medic. Doctoris, & MÜLLERI, Rectoris, praeceptis sum emacritus. Anno MDCCCLXXXVIII. in numerum civium illustris Gymnasii patrii relatus, Professorum illius Celeberrimorum Doctissimorumque praelectionibus per quinquennium me interfuisse maxime gaudeo. Audiui enim RICHEYVM in historicis & graecis, WOLFIVM in physicis, B. DORNEMANNVM in mathematicis, REIMARVM in philosophicis & stilo latino, B. SCHÉLLHAFFERVVM in ethicis, iuridicis & arte rhetorica, & SCHAFFSHAUSENVVM denique in philosophia rationali, historia philosophica & arte disputandi.

Hisce igitur aliisque litteris, quibus iuvenilis aetas imbuta & ad altiora capeffenda formari solet, bene praeparatus atque instructus, a. MDCCCLIII. mense Aprili in Academiam GEORGIAM AVGVSTAM concessi, atque a Magnifico tunc temporis Prorectore S. R. RIBOVIO albo civium academico sum adscriptus. Per tres annos & quod excurrit in illustri hoc omnium scientiarum emporio commoratus, a. MDCCCLVII non tam ob invasionem hostium & incrementes tum belli rumores, quam ob alias quasdam rationes domesticas, patrios lares reuise-



re equidem constitui; sed mox sequenti anno in almam hanc Musarum sedem iterum me contuli. Ab omni vero, quod hic degi, tempore, maximam assiduamque operam nauavi, ut ex Illustrum atque Celeberrimorum in omni scientiarum genere Doctorum consuetudine & eruditione fructus caperem vberrimos praestantissimosque. Ingenuè itaque fatendum, Viros Illustres atque Excellentissimos, summos iurium Antistites, GEBAVERVM quidem Institutiones Iustinianas, Digesta & historiam praecipuum Europae regnorum ac rerumpublicarum, B. SCHMAVSSIVM S. R. G. Imp. historiam, AYRERVM, qui & inter commensales me referre non est dedignatus, historiam iuris KOPPIO duce, nec non historiam iuris litterariam ad Eisenbartianum compendium, BÖHMERVM doctrinam Pandectarum, ius feudorum, ius canonicum & art. V. Pacis Westphalicæ, PÜTTERVM historiam & ius publicum Imp. Rom. Germ. encyclopaediam iuris, nec non rem iudiciariam Imperii & praxin iuridicam, MEISTERVM Institutiones, Digesta & ius criminale docentes, me strenuos & indefessos semper duces habuisse. Praeterea quoque Illust. GESNERVM Horatii poemata explicantem, Excell. HOLLMANNVM in philosophicis ac physicis, Excell. MAYERVM in optiis, Excell. ACHENWALLIVM ius naturæ, historiam vniuersalem notitiamque politicam rerumpublicarum Europæarum tradentem ac noua publica selectiora recensentem, S. R. WALCHIVM historiam ecclesiasticam noui foederis praelegentem, Generosiss. de SELCHOW ius germanicum priuatum, nec non ius cambiale docentem, Excell. BÜTTNERVM historiam naturalem enucleantem, Consultiss. CLAPROTHIVM in addiscendo modo in iudicio procedendi, adire mihi licuit. Tandem linguae anglicanae operam dedi praeunte Celeb. TOMPSON, gallicæ, Celeb. de COLOM du CLOS; in italica vero lingua primum Consult. GAUDIO, deinde Cl. d'ARATA me erudiuerunt. Transactis ergo pro virili hisce laboribus & cursu studiorum academicorum confecto, superiori iam anno ab Illustri Iurisconsultorum Ordine, ea qua par est obseruantia, summos in iure honores petii, in quibus etiam benigne mihi de-




cernendis, insignem ipsius in me favorem nunquam non gratissima mente recolam.

Tum in examine tum in reliquis, quibus legitimae scientiae progressus explorari solent, specimenibus talem se exhibuit vir praenobilissimus, ut lubens ordo noster decernere ei nullus dubitaret, ad quos dignissimus adspirat, summos iurium honores. Prius vero, quam hi conferentur, nec reliquis deest specimenibus, die nimirum. . . . Iul. lectione cursoria L. 2. §. fin. C. de constit. pecun. expositurus, atque dissertationem inauguralem *de statutis collegiorum officum eorumque usu & abusu* sine praefide publice defendenturus.

Utique praenobilissimo candidato dictis diebus praestitisque sic cunctis consuetis specimenibus decretos ab ordine nostro honores pro eo, quo in hoc actu fungar, prodecani officio, volente Deo conferam. Quibus actibus ut **MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, COMITES ILLUSTRISSIMI, OMNIUM ORDINVM PROFESSORES, HOSPITES, CIVES, COMMILITONES, ILLUSTRRES, GENEROSI, NOBILISSIMI ATQVE HONORATISSIMI** benevole adesse haud dedignentur, obseruanter & enixe rogo. P. P. Goettingae d. XXVI. Iun. c1818ccLVIII.





V. 18

ULB Halle

3

001 549 545



56







P. 29

G. 14. num. 8.
J. G.

18

ORDINIS IVRIDICI PRODECANVS
IOANNES STEPHANVS PÛTTER D.

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM *1759,6*

P E T R I S I M O N

ET

IOANNIS OTTONIS LVTTERLOH

HAMBVRGENSIYM

SOLLENNIA INAVGVRALIA
INDICIT.

PRAEMISSA
THEORIA GENERALI
DE NVLLITATE.

GOETTINGAE
C1759 CCLVHIII.

